

*Ha relatione ad Sanctissimum, Sanctitas sua sub die 20. ejusdem mensis, praedictam Congregationis resolutionem probavit, eandemque iussit in dubium deinceps non revocari.* Hanc eandem Declarationem refert Abb. Pasceus Summatior Pignatelli tom. 2. Verbi Matrimonium pag. 26. col. 2. Fagnanus, olim ejusdem Sacr. Congregationis Secretarius, in cap. Ad Audientiam. num. 29. De Sponsalib. & ex eodem illam transcripsit Gobatus de Matrim. tract. 9. n. 358. ubi num. 362. ejurat opinionem contrariam, quam antea complexus fuerat; & num. 370. advertit, quod praedictum impedimentum publicae Honestatis, ex Sponsalibus validis semelortum, est perpetuum; ad eod. ut daret etiam post mortem alterius ex Sponsis; quorum qui superites remanet, etsi defuncto alio Sponso, non possit copulari cum consanguineo in primo gradu ejusdem Sponsi defuncti, quod etiam notant Sanchez libr. 7. disp. 68. num. 20. & Vinc. de Justis d. lib. 2. cap. 8. num. 5. Haec de primo casu juxta reformationem Concilii Tridentini sess. 24. cap. 3. circa iustitiam Publicae Honestatis ex Sponsalibus.

Secundus casus juxta mentem ejusdem Concilii concernit publicam Honestatem insurgentem ex Matrimonio rato, non consummato; de quo cum nihil loquatur sit Concilium, restabat dubium, an dirimeret Matrimonium usque ad primum gradum tantum, prout de Sponsalibus statuerat idem Tridentinum Concilium, vel usque ad quartum gradum juxta dispositionem Juris antiqui, de quo in cap. Sponsam. De Sponsalib. Quapropter S. Pius V. motu proprio sustulit omnem dubitationem Anno 1568. declarando per suam Bullam Incipient. Ad Romanum. impressam in fine Concilii Tridentini, quod dirimat, usque ad quartum gradum juxta dispositionem Juris antiqui, per haec verba, quae etiam referuntur ad Barbofa ad Concil. Trid. d. sess. 24. cap. 3. num. 2. videlicet: *Auctoritate Apostolica; tenore praesentium declaramus, & definimus, Decretum Concilii hujusmodi omnino intelligendum esse, & procedere in Sponsalibus de futuro dumtaxat: non autem in Matrimonio, sic, ut praeforitur, contra; sed in eo durare abque impedimento omnibus illis casibus, & gradibus, quibus de Jure veteri ante praedictum Decretum Concilii introduciuntur.* Ex qua plana declaratione deducunt Theologi, impedimentum publicae honestatis ex Matrimonio rato insurgere etiam si tale Matrimonium fuerit nullum ex aliqua causa, (praeterquam ex defectu consensus) ut notant Perez de Matrim. disp. 22. sess. 3. Fagnanus in d. cap. Ad Audientiam. num. 20. de Sponsal. Sanchez d. lib. 7. disp. 70. num. 5. Salmanticensis d. cap. 12. num. 83. ubi alios cumulat; & Gobatus d. tract. 9. num. 386. ubi subtiliter addit, quod si Sponsus de facto iniret conjugium cum consanguinea Sponse in primo gradu, & per consequens nulliter, & invalidè, non esset prohibitus contrahere Matrimonium cum praedicta Sponsa sua (dummodo carnaliter non cognovisset illam consanguineam) etenim, ut ait ipse Gobatus, *haec duo impedimenta non habent vim reciprocam dirimendi;* quod etiam tradit Layman lib. 5. tract. 10. p. 4. cap. 9. num. 5. & ratio est, quia illud attentatum Matrimonium non habet vim Matrimonii, neque Sponsalium, quod praecedens Impedimentum publicae Honestatis, ob haec, & illud dirimit; & cum utraque nulla sint ipso Jure, nullum possunt parere Juris effectum, aut producere impedimentum; siquidem eatenus Matrimonium ratum, sed nullum ex aliqua causa (consensus deficientia excepta) gignit impedimentum publicae Honestatis, quatenus possit resolvi in Sponsalia valida, ut ex casibus sequentibus Studiosus Lector poterit comprehendere. Hoc etiam addit quod Matrimonium contractum sine praesentia Parochi, & Testium non parit impedimentum publicae Honestatis, quia non valet in ratione Matrimonii, neque in ratione Spon-

salium, ut declarasse S. Congregationem testatur Barbofa de Offic. & pot. Episc. alleg. 51. numer. 181. & aliis citatis Vinc. de Justis d. lib. 2. cap. 8. num. 13.

Quo ad Quartum; ut explicemus, in quibus casibus cesset publicae Honestatis impedimentum ob invaliditatem Sponsalium, notandi veniunt omnes octo sequentes casus.

Primus est, si Sponsalia contracta sint cum impubere ante septem annos. Sanchez libr. 7. disput. 8. numer. 4. Pyrrhus Corradus in Praxi dispens. Apost. libr. 8. cap. 7. num. 10. Vinc. de Justis d. lib. 2. cap. 8. num. 20. addens num. 21. quod si Matrimonium ratum per verba de praesenti pariter contraheretur cum impubere, honestatis impedimentum ex eo insurgens restrictum esset ad solum primum gradum, quia tale conjugium haberet vim Sponsalium, non Matrimonii. Sanchez d. lib. 7. disp. 70. num. 8. Pontius libr. 7. cap. 36. num. 8. & Navarrus in Manuali cap. 22. num. 57. nisi tamen malitia suppleret aetatem. Quamvis enim Viri dicantur puberes, attingentes Annum XIV. feminae vero XII. nihilominus si ex corporum, ac humorum maturitate ante dictos annos habiles evadant ad carnalem copulam, valide contrahunt Matrimonium, malitia tunc suppleta aetate. cap. 3. §. fin. de Despons. Impub. & cap. De illis qui in minori aetate. Hinc refert Gregorius Tololanus Synagm. Jur. lib. 9. cap. 7. numer. 9. puerum novennem impregnasse nutricem suam. Pharem filium Judae genuisse Ezron, cum tantum novem annos haberet. Roboam fuisse genitum a Salomone existente in sola aetate annorum undecim. Achaz annos tantum decem habentem procreasse Ezechiam; & ex Divo Hieronymo in Epistola ad Vitalem mulierculam alioqui provecam a puero decenni gravidam factam fuisse, cujus Sancti Doctoris verba transcribit Emmanuel Gonzalez in cap. 3. de Sponsalib. num. 4. tom. 4. ubi alia adducit exempla.

Secundus Casus, in quo Sponsalia sunt invalida, nec apta ad producendum publicae Honestatis impedimentum, est: si ante illa praecessisset Votum Castitatis, vel Religionis, dummodo tamen extiterit constet de eodem Voto, aliis praevaleat praesumptio validitatis Sponsalium, & ex eis orta iustitia publicae Honestatis. Sanchez d. lib. 7. disp. 68. num. 14. Vinc. de Justis d. lib. 2. cap. 8. n. 25. & 26. addens idem esse dicendum, si Sponsalia essent nulla ex defectu consensus interni, cujus probatio dari non posset, quia Ecclesia non judicat de occultis: Sanchez d. disp. 68. n. 14. Pontius libr. 7. d. cap. 36. num. 10. Aversa d. quest. 17. sess. 5. & Salmanticensis d. cap. 12. num. 84. & 85.

Tertius Casus est, si Sponsalia contracta sint cum persona incerta, veluti cum una ex filiabus Petri; 18 tunc enim nulla sunt. Sanchez d. lib. 7. disp. 69. num. 3. Aversa d. qu. 17. sess. 5. Vers. Si vero, & Bonacina de Matrim. d. g. 3. punct. 11. num. 15.

Quartus Casus est, si fuissent inita Sponsalia sub conditione de futuro; quia ante ejus impedimentum nihil dicitur actum. Vinc. de Justis d. lib. 2. cap. 8. num. 33. ubi alios cumulat, advertens n. 34. quod si conditio turpis fuisset, vel impossibilis, quia tunc favore Matrimonii haberet pro non apposita, impedimentum Honestatis publicae oriretur. Angelus in Summa Verb. Matrimonium 3. Impedit. 14. Leo in Praxi S. Penitent. part. 2. Vers. Si autem Matrimonium contrahatur. pag. 219.

Quintus Casus est, si contrahentes Sponsalia sint impediti aliquo alio impedimento dirimente, puta Cognationis, Affinitatis, Criminis, & similibus; 20 tunc enim quia Sponsalia sunt nulla, ex eis nulla publicae Honestatis oritur iustitia. Navarrus d. c. 22. num. 58. & Pontius d. lib. 7. cap. 36. num. 5.

Sextus Casus est, si Sponsalia contracta sint a parentibus nomine Filiorum absentium; nam ante 21 quam

DECISIO XXXI. ARGUMENTUM.

quam isti illa ratificent, Honestas non gignitur. Quod si praesentes, & doli capaces sint, ac taceant, sponsalia valeant, & impedimentum Honestatis intrat. DD. ubi supra Barbofa d. alleg. 51. num. 186. & Vinc. de Justis d. lib. 2. cap. 8. num. 36. & 37.

Septimus Casus est; si quis contraxisset Sponsalia sub conditione de futuro cum Berta; & non expectato conditionis eventu alia Sponsalia contraheret cum sorore Berae, haec non producerent Honestatis impedimentum, upote nulla, & invalida; nam teneretur expectare, ut conditio impleatur. Navarrus d. cap. 22. num. 17. Sanchez d. disp. 69. num. 3. & Vinc. de Justis d. lib. 2. cap. 8. num. 40.

Octavus Casus est, si quis post Sponsalia legitime contracta cum Berta, haberet copulam cum consanguinea Berae in primo gradu, neutram absque dispensatione ducere posset, ut dictum est supra num. 12. non Beram ob impedimentum Affinitatis ob dictam copulam; non ejus Consanguineam ob impedimentum publicae Honestatis ex Sponsalibus cum Berta. Bonacina d. qu. 3. punct. 11. propos. prima in fine. Layman d. cap. 9. num. 6. Vinc. de Justis d. cap. 8. num. 46. & Salmanticensis, alios DD. allegantes d. tract. 9. de Matrim. cap. 12. num. 90.

Tandem corollarii loco est annotandum, quod super hoc impedimento publicae Honestatis frequenter Papa dispensat, & eo facilius si illud proveniat ex Sponsalibus, quam ex Matrimonio rato, ut docet Sanchez libr. 8. disp. 24. num. 16. & Vinc. de Justis d. lib. 2. cap. 8. n. 26. & seqq. ubi advertit, pro obtinenda dispensatione opus esse exponere, 1. An Honestatis impedimentum proveniat a Sponsalibus, vel a Matrimonio rato. 2. Si ab hoc procedat, an intercesserit copula; nam tunc duplex foret impedimentum dispensandum: unum ex publica Honestate, & alterum ex Affinitate; quae copula si reticeretur, invalida esset dispensatio, de qua invaliditate scribentes pro Henrico VIII. Anglorum Rege (inter quos unus fuit Marcus Mantua Patavinus, ut et ex ejus Voto impresso inter ejus Consilia tom. 1. consil. 121.) arguebant Dispensationem Pontificiam super ejus Matrimonio cum Regina Catharina, quae prius nuperat Arthurum ejusdem Henrici VIII. fratri germano, etsi Dispensationem praedictam nullo defectu laborasse demonstrat Sanderus de Schismate Anglic. lib. 1. cap. 58. & nos latius ostendimus infra Decis. XXXI. a num. 34. & seqq. Ultimo, quod concurrat aliqua iusta causa, vel ob angustiam loci, vel ad sedandas inimicitias, sive ad reparandam famam Sponse, si forte cum habente impedimentum publicae Honestatis minus honestè fuisset conversata; siquidem, etsi asseret Barbofa in Collect. DD. ad Concil. Trident. d. sess. 24. cap. 3. num. 15. non esse difficilem Papam in dispensando, concurrente causa iusta; hac tamen cessante, contrarium est verius, ut ego expertus sum hic Patavii cum DD. de Carbonibus; unus enim filius hujus nobilis Familiae dum desponsasset puellam DD. de Ferris per verba de praesenti, servatis de Jure servandis, & hora praedicti subitanea morte extinctus esset, Uxore intacta remanente, possibile non fuit obtinere dispensationem a SS. Innocentio Papa XI. ut eadem Puella nubere alteri fratri primi mariti defuncti; prout instanter, ac instantissime, adhibitis etiam validis intercessoribus, petebant tam DD. de Ferris, quam DD. de Carbonibus, ut parentela inter eos iniret conformaretur, & cessaret incommodum resistendi Dorem jam solutam; ac jocalia eidem Sponse tradita; haec enim omnia visa sunt Papae non continere causam sufficientem ad dispensandum super iustitia publicae Honestatis orta ex antedicto Matrimonio rato, non consummato.

Explicatur exactissime, Quid, & Quotuplex sit Affinitas? Et inter quas personas ejus impedimentum dirimens contrahatur? Ostenditur, tria Affinitatis genera olim fuisse: nunc Unum tantum, duas tamen lineas Rectam, & Transversalem complectens. Docetur, Affinitatem ex copula licita impedire, & dirimere Matrimonium inter Affines, in utraque linea, usque ad quartum gradum inclusivè: Ex copula autem illicita usque ad secundum. Disputatur, Quo Jure Affinitatis Impedimentum sit introductum? Et an de Jure Naturali sit prohibitorum Matrimonium in primo gradu utriusque lineae inter eosdem Affines? Tres sententiae referuntur innixae rationibus, Canonibus, Historicis, & Exemplis. Eligitur sententia negativa in utraque linea; eaque, ultra fortes rationes, fulcitur variis Dispensationibus Apostolicis, in primo gradu lineae transverse concessis. Tandem deciditur, An Episcopus, & Confessarii Regulares possint dispensare cum Affinibus incestuosis ad petendum debitum?

SUMMARIUM.

- 1 Affinitatis Etymologia quae sit?
- 2 Eiusdem definitio.
- 3 Affinitas oritur ex copula etiam cum dormiente, ebria, & sine sensibus.
- 4 Copula qualis esse debeat, ut gignat Affinitatem?
- 5 Semen humanum non prolificat extra vulvam feminae usuum.
- 6 Eunuchi, ac Spadoes an contrahant Affinitatem?
- 7 Seminis feminei an necessaria effusio pro Affinitate?
- 8 Affinitas quas personas afficiat, & comprehendat?
- 9 Consanguinei Affinium inter seipso non sunt Affines.
- 10 Affinitas oritur tam ex copula licita, quam ex illicita.
- 11 Affinitatis effectus quinam sint?
- 12 Incestuosa copula quibus panis puniatur? & usque ad quem gradum?
- 13 Episcopus an dispenset in copula incestuosa ad petendum debitum? & num. 53.
- 14 Affinitatis impedimentum est perpetuum, & durat etiam post mortem.
- 15 Affinitatis genera tria de Jure antiquo.
- 16 Eius Genus Secundum, & Tertium abrogatum ab Innoc. III.
- 17 Affinitas ex Conc. Trid. alia ex copula licita, alia ex illicita.
- 18 Alia in linea recta, alia in linea transversali.
- 19 Affinium gradus quomodo computentur?
- 20 Stipes in Affinitate quis sit?
- 21 Affinitas usque ad quem gradum olim, & nunc dirimat Matrimonium?
- 22 Lateranensis Concilii IV. descriptio.
- 23 Innocentii III. Laudes, & Virtutes.
- 24 Affinitas ex copula illicita nunc non extenditur extra secundum gradum.
- 25 S. Pii V. declaratio, quod ultra secundum gradum nec dirimit, nec impedit.
- 26 Affinitas ex copula licita dirimit usque ad 4. gradum inclusivè.
- 27 Fornicationis nomen comprehendit omnem speciem luxuria.

- 28 Incestus non est coire cum consanguinea Uxoris in 3. vel 4 gradu
- 29 Nec aufertur Jus petendi debitum ab Uxore.
- 30 Affinitatis impedimentum est de Jure Ecclesiastico.
- 31 An etiam de Jure natura? Ex copula illicita, Non. Et cur?
- 32 Affinitas ex copula licita dirimit Matrimonium de Jure nature in primo gradu lineæ transverse: DD. & rationes.
- 33 Herodes cur reprehensus à S. Jo. Baptista ob Herodiam Uxorem? & num. 37.
- 34 Henrici VIII. Regis Angliæ Matrimonium cum Uxore defuncti Fratris sui an validum? & num. 38.
- 35 Marci Mantua J. C. Patavini Votum pro nullitate dicti Matrimonii.
- 36 Affinitas in primo gradu lineæ transverse non dirimit Jure naturali.
- 37 Angelotti Anglicani quid sint?
- 38 Doctoribus consensibus parum est credendum. Et cur?
- 39 Affinitas in primo gradu lineæ rectæ an dirimat Jure Nature? Quod sic: Rationes sex num. 43. & 45.
- 40 Urbani VIII. anno 1632. noluit dispensare cum Maximo Duce in primo gradu Affinitatis lineæ rectæ. Et cur? num. 45.
- 41 Stratonica Noverca nupta Antiocho privigno suo.
- 42 Papa, cessante justa causa, non dispensat in Matrimonio.
- 43 Moseyca Leges prohibentes Matrimonium erant jusculares, & nunc cessant.
- 44 Christus Dominus impedimenta Matrimonii non posuit, sed ea remisit potestati Ecclesiæ, ac Vicarii sui.
- 45 Papa potest dispensare in quocumque gradu Affinitatis tam lineæ rectæ, quam transversalis, cum justa causa. Et num. 52.
- 46 Exempla dispensationum Apostolicarum Affinitatis in primo gradu.
- 47 Livonia Provincia inter Suetiam, ac Poloniam quo tempore, & à quibus ad fidem Catholicam conversa?
- 48 Burdigala Urbis ubi sit?
- 49 Regulares Concessarii an dispensent cum incestuosi conjugibus, ut possint petere debitum?
- 50 Oracula Viræ vocis omnia revocata ab Urbano VIII. Anno 1631.

**P**ost publicæ Honestatis impedimentum sequitur illud, quod nascitur ex Affinitate, de quo in præfenti est agendum: pro cuius plena declaratione, quinque sunt examinanda.

- 1 Quid sit Affinitas?
- 2 Quotplex?
- 3 Ubius ad quem gradum dirimat Matrimonium Affinitas?
- 4 Quo Jure hoc Impedimentum dirimens Affinitatis sit intraductum?
- 5 An in eo Papa possit dispensare?

**Q**uo ad Primum. Antequam definiatur Affinitas, scire oportet, quod quo ad hujus nominis Etymologiam, ea ita appellatur, quasi finium propinquitas: nam sicut agri dicuntur officines, quando finis unius est proximus fini alterius; ita consanguineis alterutrius conjugis dicuntur Affines alteri conjugii, eo quod duæ cognationes inter se diversæ per nuptias copulantur, & altera ad alterius fines accedit. I. Non facile. ff. de Gradib. Affinit. cap. Fratritatis. 35. q. 10. Definitur autem sic. Affinitas est proximitas, seu conjunctio, orta ex copula carnali perfecta cum commixtione seminum, inter feminam, & consanguineos Viri, cui copulata est; nec non inter Virum, & consanguineam feminæ, cui copulatus fuit, sed

licitè, sed illicitè, dirimens Matrimonium subsequens cum ipsius Affinibus; vel si ante initum erit, impediens petitionem debiti, donec super incestuosa copula dispensatio obtineatur. Ex declaratione hujus definitionis, totius materiæ, ac Impedimenti Affinitatis intelligentia percipitur. Dicitur, quod est Proximitas, seu conjunctio, loco generis, nam etiam Consanguinitas tum Carnalis, tum Spiritualis, tum etiam Legalis, comprehenditur sub hoc nomine; & sicut in illis plures personæ in parentela conjunguntur, & approximantur, vel per descendentiâ ab eodem sanguine, vel per Sacramenti, aut civilis actus consanguinitas; ita consanguineus illius, qui carnaliter aliam personam cognoscit, colligantur cum ipsa persona carnaliter cognita, & evadunt ejus affines. Dicitur Orta ex copula carnali, tum ad differentiam publicæ Honestatis Impedimenti, quod nascitur vel ex solis Sponsalibus, vel ex solo Matrimonio rato, non consummato; tum ad indicandam causam efficientem Affinitatis, quæ est ipsa copula carnalis; sive voluntaria, sive coacta. cap. Diferentiam. De eo, qui cognovit consanguineum cum muliere fornicatæ, ebria, infana, vel sensibus destituta. Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 64. num. 17. & 18. ubi Theologos, ac Canonistas sic docentes allegat; & concordat Vinc. de Justis de Dispensat. Matrim. lib. 7. cap. 7. num. 3. & ad addens, nihil referre ad hoc impedimentum contrahendum, an copula fuerit publica, vel occulta, quia iura in hoc non distinguunt, ut docet etiam Layman lib. 5. tract. 10. cap. 5. num. 3. Additus in definitione Ex carnali copula perfecta; illa scilicet, quæ est necessaria, & sufficiens ad proles generationem. cap. Lex Divina Constitutio. 27. q. 2. cap. Extraordinaria. 33. q. 2. & 3. Et ideo quicumque actus impudici, & tactus veneri, ac lascivi, etiam per illos semen extra vas effunderetur, Affinitatem non gignunt. Eminent. Card. Toletus lib. 7. cap. 152. num. 3. Bonacina de Matrimo. qu. 3. punct. 12. numer. 11. & seqq. Reginaldus lib. 31. num. 147. Vincent. de Justis d. lib. 2. cap. 7. num. 12. alios DD. cumulans, subdens num. 16. neque contrahi affinitatem, si semen hominis à Dæmone in yas mulieris deportaretur, quia hujusmodi delatio non esset carnalis copula illius hominis cum tali muliere; ut contra Sanchezium d. lib. 7. disp. 64. num. 15. tenet etiam Basilus Pontius de Matrim. lib. 7. cap. 33. num. 2. & ante cum scriptum legitur apud Zilectum inter Consilia Matrimon. vol. 1. conf. 19. num. 1. Et faciunt ea, quæ ego scripsi in meis Decisionibus De Baptismo Decif. 49. sub numer. 5. de ineptitudine feminis virilibus à Dæmone delati ad semineam vulvam pro generatione humana; siquidem ad procreandam prolem requiritur copula carnalis perfecta inter Virum, & Mulierem, sic adinvicem carnaliter copulantes; ut in puncto tradit etiam Eminent. Cardin. de Lauræa de Matrim. disp. 26. num. 34. his verbis: Collige 2. quod si ex viri alicujus membro semen à demone accipitur, & in vas femine introducatur, non oritur ex hac mixtione Affinitas; tum quia re vera Vir non adheret mulieri, quod requiritur ex max. cit. cap. Lex Divina; tum etiam quia, esset naturaliter incertum, à quoniam semen illud fuisset acceptum. Conferuntur hæc omnia ex eruditissimi Medici Romani Pauli Zacchiae, qui in Q. Q. Medicolegal. tom. 2. lib. 10. conf. 42. numer. 6. ait, quod impossibile est, semen masculinum in ore externo intererum conservari posse, cum necesse sit, tenuissimos illos spiritus, à quibus omne principium generationis procedat, statim evanescere. Et ideo voluit natura, Matrem, & Feminam tam arcte conjungi; & ne semen masculinum quocumque ab æere externo patereatur, voluit illud à Mère per tubum uterique ad internum uterum os immitti. Concluditur post pauca: Necessaria ergo omnino est ad conceptionem conjunctio Maris, & Feminae.

**F**emine per introfissionem penis in matricem, aliter nulla sequi potest generatio. Si itaque omnes Theologi docent, ad contrahendum impedimentum Affinitatis, requiri illam carnalem, ac perfectam copulam, quæ necessaria est ad generationem. Sanchez d. lib. 7. disp. 64. num. 4. Basilus Pontius d. lib. 7. cap. 33. n. 2. & Avera d. Matrim. quest. 17. scilicet. 1. Vers. Debet tamen. Sequitur, quod hæc copula, ut perfecta sit, fieri debeat per penis in matricem introfissionem, & in ea seminationem.

Sequitur in definitione cum commixtione seminum; non enim est perfecta copula, nisi femina Viri, ac Mulieris effundantur, & misceantur; & equidem de necessaria masculini seminis effusione testantur DD. quos citat, & sequitur Sanchez d. disp. 64. n. 8. & 10. quibus adhæret Vinc. de Justis d. lib. 2. cap. 7. n. 13. & 14. subinde inferentes, quod Spadone, & Eunuchi, quamvis mulierem carnaliter cognoscere valeant, quia tamen, utroque teste carentes, semen ad generandum aptum non habent, Affinitatem contrahere non possunt. At de muliebri semine non admittunt hanc necessitatem, opinantes, absque illius effusione, contrahi Affinitatem; quod etiam docet Bonacina d. qu. 3. de Matrimo. punct. 12. num. 12. Avera d. quest. 17. scilicet. 1. Vers. dubitatur. & alii plures, quos citat, & sequitur Sanchez d. lib. 7. disp. 64. num. 20. Cæterum hæc opinio à me non recipitur, quia repugnat principiis tum Juris Canonici, tum Medicinæ. Jus Canonicum docet, Affinitatem oriri ex commixtione seminum Maris, & Feminæ. cap. Lex Divina. 27. q. 2. ibi: Sed neque osculum parit propinquitatem, quod nullam facit sanguinis commixtionem: ideo Angelicus Doctor 3. p. qu. 55. artic. 4. ad 2. ait: Vir, & Mulier efficiuntur in carnali copula una caro per commixtionem seminum; unde quantumcumque quis claustrum pudoris invadeat, vel frangat, nisi commixtum seminum sequatur, non contrahitur ex hoc Affinitas. Ergo opus est, ut etiam mulier semine simul cum Viro. Id etiam apud Medicos est indubitatum, ut demonstrat Paulus Zacchias Q. Q. Medicolegal. lib. 7. tit. 3. quest. 1. num. 16. ubi capit Pontium, Dianam, & alios contrarium asserentes, dicens eorum opinionem esse hæresim apud Medicos, ac Philosophos his verbis: Mulieris semen requiritur ad generationem apud Medicos communissima, ac receptissima sententia est; ita ut mirari subeat Pontium lib. 10. cap. 11. q. 3. & Dianam p. 3. Miscellan. tract. 5. res. sol. 38. & alios firmantes, semen muliebri non concurrere ad generationem ex receptiori Philosophorum, & Medicorum opinione: videntur enim hi DD. quicunque tandem sint, classici Medicos, ac plerisque Philosophos aliarum Scientiarum Professores ea hæresis detineri, quod semen muliebri neque ad introfissionem, neque sit necessarium ad generationem, libet tantisper in hac re innovari, ut Juris peritis rem gratam faciam. Et prosequitur per integrum, ac doctissime digressionem probando, mulieris semen esse omnino necessarium pro semine viri ad generandam prolem. Ergo utrumque requiritur simul commixtum, ut infusatur ex copula carnali Affinitatis impedimentum; ut plurimi ex Theologis, atque Canonistis tenent, quos allegat ipse Sanchez d. disp. 64. num. 20. quorum opinionem, etsi ipse non amplectatur, tamen vocat probabilem, & novissime cum aliis ita sentit Gobatus de Matrim. tract. 9. num. 391. ubi ad cognoscendum, an mulier feminaverit? ait, esse modestè interrogandam, Utrum tempore coitus, paulo ante, vel post, senserit magnam voluptatem? Si nullam, aut exiguam, signum est, non defluxisse ex ea semen. Non inficiamur, ita sentiendum in foro interno tantummodo; nam in foro exteriori, ubi constaret de congressu Viri cum muliere, & de copula cum ea

exercita, ulterius non esset indagandum; sed pronuntiandum foret pro impedimento Affinitatis ex præsumpta seminum effusione, ac commixtione; quia, ut bene subdit Eminent. Card. de Lauræa d. disp. 26. numer. 36. Effe ex natura rei ad faciendam mixtionem sanguinum, ut dicuntur Canones, sit necessarium utriusque semen; tamen ad judicandum hoc impedimentum id non requiritur, quia nequit in foro externo probari; Ecclesiæ autem de externis judicat. Hinc requiri etiam feminis semine effusionem ad contrahendam Affinitatem docet quoque Matrisius d. disp. 7. num. 477. & Summa Diana Verb. Affinitas. num. 2.

Adduntur in definitione hæc verba: Inter feminam, & consanguineos Viri, cui copulata est; nec non inter Virum, & consanguineas feminæ, cui copulatus fuit. Ad denotandas personas, inter quas contrahitur Affinitas, & quæ afficiuntur ab carnalem copulam hoc Affinitatis impedimento; siquidem, etsi in Affinitate detur duplex Linea ad similitudinem consanguinitatis, (Recta scilicet, & Transversalis; seu Ascendens, & descendens, atque Collateralium) gradus quoque computationis, ac numerationis eadem regula, quæ de cognatione carnali tradita est supra Decif. XXXII. nihilominus non omnes ex utraque Linea sunt inter se Affines, prout consanguinei, neque ad omnes utriusque lineæ protenditur hoc Affinitatis impedimentum; sed in una linea, in qua est mulier copulam carnalem passa, ipsa sola Mulier fit Affinis & contrahit Affinitatem cum consanguineis illius Viri, à quo carnaliter fuit cognita; & vice versa in linea ejusdem Viri, ipse solum evadit Affinis cum consanguineis ejusdem feminæ: per eum carnaliter cognita, adeo ut consanguinei Viri, & consanguineæ mulieris prædictæ nullatenus censentur Affines inter se; & per consequens inter se ipsos nullo Affinitatis vinculo, vel impedimento sint affecti; ut communiter tradit omnis Schola Theologorum, ac Canonistarum, quos longa serie allegat Sanchez d. lib. 7. disp. 67. a num. 2. & seqq. Basilus Pontius lib. 7. cap. 33. numer. 3. Avera d. quest. 17. scilicet. 1. in princ. Salmanticenses d. tract. 9. de Matrim. cap. 12. num. 93. Lessius in 3. p. D. Thome cap. 10. de Matrimo. numer. 166. Vinc. de Justis d. lib. 2. cap. 7. num. 24. Gobatus tract. 9. num. 401. & Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 26. num. 10. qui omnes inferunt, inter consanguineos utriusque cognoscitur, scilicet Viri carnaliter aliquam mulierem cognoscitur, & ipsius mulieris ab eodem carnaliter cognoscitur posse initi Matrimonium; imò licitum esse Matris, & Filie nubere Patri, & Filio; & è contra, Patrem posse ducere in Uxorem Matrem, Filium ejusdem Matris Filiam, & vice versa, ac duobus fororibus permittitur esse nubere duobus germanis Fratribus; ea fundamentali ratione, quod Affinitas contracta ab una persona per illum non transit in consanguineos suæ lineæ respectu consanguineorum alterius lineæ attentum ad illam personam, quæ compar fuit ejusdem copulæ.

Subjungitur in definitione ex carnali copula habita sed licitè, sed illicitè; quia, ut infra demonstrabimus, eadem Affinitas nascitur tam ex copula conjugali licita, quam ex copula fornicaria illicita, cum hoc solo discrimine in impediendo, ac dirimendo Matrimonio subsequenti; quod Affinitas ex copula licita dirimit utque ad quartum gradum inclusive; ex illicita vero utque ad secundum tantum. DD. apud Vinc. de Justis d. lib. 2. cap. 7. numer. 6. & apud Salmanticenses d. cap. 12. numer. 93. Subdit definitio, dirimens Matrimonium subsequens cum ipsius Affinibus; talis enim est effectus Affinitatis, ut non solum impedit, sed etiam dirimat Matrimonium, si post copulam carnalem habitam à muliere, hæc nubere alicui consanguineo illius

illius Viri, à quo carnaliter cognita fuit; cum prædicta mulier jam facta fit Affinis eorumdem consanguineorum, & ipsi consanguinei jam ligati sint vinculo Affinitatis cum ipsamet muliere, prout vice versa nullum, & iterum fit Matrimonium, quod de facto esset initium à Viro, qui prius carnaliter cognovisset aliquam mulierem; si, inquam, ab eo esset initium de facto cum aliqua femina consanguinea prædictæ mulieris à se carnaliter cognita; ob eam rationem, quod omnes feminae consanguineæ illius mulieris usque ad quartum gradum sunt devinctæ Affinitate cum ipso Viro. Reginaldus lib. 41. num. 145. Vinc. de Justis d. lib. 2. cap. 7. num. 37. & passim omnes.

Subsequitur in definitione: *vel si antea initium erat, impediens petitionem debiti*; quia hic est alius effectus proveniens ex Affinitate ex copula illicita; videlicet, quod si quis Uxoratus committat rem carnalem cum consanguinea Uxoris suæ, non possit petere debitum à sua Uxore; quamvis reddere teneatur; & e converso si Uxorata coiret cum consanguineo marito sui intra secundum gradum, privata sit jure petendi debitum à Marito suo, & in utroque casu copula dicitur incestuosa; per quam, qui illam committit incurrit etiam excommunicationem. An autem latae sententiæ, vel ferendæ? discrepant DD. quos cumulat Theaurus de Pœnis Eccl. part. 2. Verb. Incestus pœnis. capit. 1. num. 3. & Vinc. de Justis d. lib. 2. cap. 7. à num. 71. & seqq. addens, prædictos Uxoratos incestuosos excusari à pœnis antedictis, si ignoraverint, personam, cum qua coire præsumpserunt, fuisse consanguineam propter conjugis, vel per Vim, & Metum copulam passis fuit; sive extra secundum Affinitatis gradum incestuosam copulam commiserint, quia ultra illum hæc pœnis non extenduntur, circa Matrimonium jam in initio, etsi circa in eundem Affinitas ex copula licita dirimat usque ad quartum gradum. Ita DD. quos citat, & sequitur Vinc. de Justis d. cap. 7. num. 72. & Theaurus d. Verb. Incestus pœnis cap. 1. num. 4. attestantes ex mente Concilii Tridentini sess. 24. de Matrim. cap. 4. ita declaratum esse à Sacra Congregatione, quod etiam scribit Pontius d. lib. 7. capit. 33. num. 6.

Tandem dicitur in definitione: *donec super incestuosa copula dispensatio obtineatur*; quæ quidem dispensatio ad petendum debitum elargiri potest ab Episcopo cum subditis suis. Sanchez lib. 8. disp. put. 12. num. 13. Barbosa de Offic. & pot. Episc. al. leg. 37. numer. 12. Theaurus d. cap. 1. numer. 4. in fine; & alii plurimi, quos citat, & sequitur Vinc. de Justis d. lib. 2. cap. 7. num. 88. ubi tamen advertit, contrarium constantissime asserere Garziam de Benefic. part. 11. cap. 5. §. 4. num. 355. & Pyschum Corradum in Praxi Dispens. Apofol. lib. 8. cap. 1. num. 55. A peccato autem, & ab excommunicatione quilibet Confessarius potest absolvere, quia in Jure nulli est reservata; nisi forte & culpa, & censura prædicta per Decretum Episcopale esset eidem Episcopo reservata, prout est in pagella casuum reparatorum in hoc Episcopatu Patavino; ubi prohibentur Confessarii num. 5. absolvere à copula incestuosa commissa cum consanguineis, vel Affinibus in primo, vel in secundo gradu.

Ex his inferunt omnes feribentes, quod licet obtineatur absolutio à copula incestuosa, & ab excommunicatione per eam incurta; non censetur dispensatum super impedimento Affinitatis dirimente Matrimonium subsequens; quia tale impedimentum est perpetuum, & durat etiam post mortem conjugis, vel personæ, ex cujus copula ortum habuit, nisi expressè ad effectum contrahendi Matrimonium cum Affine obtineatur à Sede Apostolica dispensatio. cap. Fratemitatis vestre. 35. qu. 10. Sanchez d. lib. 7. disp. 64. num. 2. Reginaldus d. lib. 31. nu-

mer. 144. Massobrius de Concursu requis. 7. dub. 28. num. 2. Vinc. de Justis d. lib. 2. cap. 7. num. 21. subdens, quod nec delectur, etsi Matrimonium dissolvatur, ex Cardin. Parisio conf. 68. num. 14. vol. 4. scilicet, quia præterderetur fuisse nulliter initum ob aliquod aliud impedimentum dirimens; dummodo fuerit consummatum; nam, ut dictum est, ex copula carnali oritur Affinitas, quæ semper, & in perpetuum dirimit; nisi Summus Pontifex per dispensationem eam tollat.

Quo ad Secundum, in quo queritur *Quotuplex sit Affinitas?* Distingere oportet Jus antiquum Sacrorum Canonum à Jure novo Concilii Tridentini. Canones antiqui recognoscebant tria genera Affinitatis, & sic triplex erat Affinitas ex copula conjugali confurgens, Una primi gradus, Altera secundi, Tertia tertii gradus, ut magistraliter explicat Glossa in cap. Non debet. 8. Verb. In secundo, & tertio. De Consangu. & Affin. Affinitas primi gradus erat illa, quæ nunc etiam viget, scilicet, quando Vir, & Mulier contrahebant Matrimonium simul, ac illud per copulam carnalem consummabant; omnes consanguinei Viri fiebant affines ejusdem mulieris; itaut si vidua remaneret, nulli eorum possit nubere. Et e converso omnes feminae consanguineæ ipsiusmet mulieris evadebant Affines illius Viri; itaut factus viduus per mortem dictæ Uxoris, nullam ex consanguineis ejusdem Uxoris possit sibi in Uxorem adungere ob impedimentum Affinitatis in primo genere. d. cap. Non debet. 8. De Consanguin. & Affin. Affinitas secundi generis, si mortuo primo marito illius mulieris, ipsa nupsisset alteri: iste secundus maritus efficiebatur Affinis cum omnibus consanguineis masculis, & feminis primi mariti; & idcirco si iste secundus maritus remansisset in viduitate per mortem illius mulieris, non poterat inire Matrimonium cum aliqua consanguinea antedicti primi mariti, ob impedimentum Affinitatis secundi generis, quod dirimebat conjugium usque ad quartum gradum, juxta textum in cap. De propinquis. 35. q. 3. Affinitas tertii generis erat, si antenominatus secundus maritus viduus effectus per mortem primæ mulieris contraxisset secundas nuptias cum alia extranea muliere; hæc mulier extranea efficiebatur Affinis cum consanguineis non solum hujus viri mariti, sed etiam cum consanguineis illius prioris Uxoris defunctæ; propterea, si hæc extranea mulier remanebat vidua, non poterat nubere alicui consanguineo ejusdem prioris Uxoris mariti sui, usque ad secundum gradum, ob impedimentum Affinitatis tertii generis, quod dirimebat Matrimonium usque ad secundum gradum, de quo in cap. Porro, eadem. 35. q. 3. Ex his patet, quod antiquitus Affinitas pariebat Affinitatem, quia Uxor e. g. fratris mei, Affinis effecta mecum, & aliis consanguineis meis, si viduata pubebat alii Viro, transfundebat in ipsum Affinitatem meam, & consanguineorum, ac consanguinearum mearum; & iste secundus Vir, si mortua Uxore aliam duceret, hæc quoque efficiebatur Affinis mihi, ac omnibus consanguineis meis, ut fufius docent d. Glossa in cit. cap. Non debet. De Consanguin. & Affin. Basilis Pontius lib. 7. cap. 34. numer. 1. Vinc. de Justis d. lib. 2. cap. 7. num. 37. Et Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 26. art. 1. & 2. qui omnes advertunt, quod hæc tria genera Affinitatum de Jure antiquorum Canonum impediebant, & dirimebant Matrimonia. Cæterum Innocentius Papa III. in Concilio Generali Lateranensi IV. celebrato Anno 1215. abrogavit secundum, & tertium genus prædictæ Affinitatis; cujus Concilii Decretum referunt in d. cap. Non debet. 8. De Consanguin. & Affin. his verbis: *Cum ergo prohibitiones de conjugio in secundo, & tertio Affinitatis genere minime contrahendo, & de Sobole*

subsec-

subcepta ex secundis nuptiis cognationi Viri (scilicet primi mariti, cujus Uxor cum alio secundo marito dictam Sobolem genuerat) non copulanda prioris, & difficultatem frequenter inducant, & aliquando periculum pariant animarum: Cum cessante prohibitione, cesset effectus; Constitutiones super hoc editas, Sacri approbationis Concilii revocantes, præsentis Constitutione decernimus, ut sic contrahentes de cætero liberè copulentur. Quare, ab eo tempore citra, Affinitas remansit, & remanet in primo genere; videlicet, ut Uxor non possit, in casu viduitatis, nubere alicui consanguineo mariti sui defuncti usque ad quartum gradum inclusivè; nec vice versa, maritus post mortem Uxoris suæ valeat sibi copulare aliquam consanguineam ejusdem Uxoris usque ad quartum gradum; aliis duobus Affinitatis generibus prorsus extinctis, unde desumpta est nova regula, quod Affinitas Affinitatem non parit.

Circa verò Jus novum, præcipue Concilii Tridentini, Duplex alia habetur divisio Affinitatis: Una est, quæ oritur ex copula licita, nempe ex Matrimonio servatis servandis inito, & consummato; alia, quæ insurgit ex copula illicita; nempe fornicaria, habita extra Matrimonium cum quacumque muliere; & in utraque specie hujus Affinitatis sicut Vir non potest contrahere conjugium cum consanguineis feminae illius mulieris, quam carnaliter cognovit, ita mulier nubere non potest alicui consanguineo illius Viri, à quo carnaliter cognita fuit; etsi inter utramque speciem discrimen sit quo ad gradum, ut infra dicemus. Altera Affinitatis divisio est, quod alia dicitur Affinitas Lineæ rectæ, alia vocatur Affinitas Lineæ transversalis. Prima est illa, quæ comprehendit Avum, & Patrem Viri, qui duxit Uxorem, ac Uxorem ipsam; necnon uxores filiorum, Nepotum, Pronepotum, & aliorum descendentium ab eodem Avo, & Patre, cum quibus Uxoribus (si forte viduæ essent) Avus, & Pater prædicti non possunt Matrimonium contrahere: & vice versa inter Aviam, & Matrem mulieris, quæ nupsit alicui viri, cui viduato nulla eorum nubere valet; adeo ut Socer non possit habere in Uxorem nurum suam, neque Socus nubere genero suo; ac ratione, quia sunt adinvicem Affines in Linea recta; & hoc nunc est apud Italos uno ore dicentes: *il Miffere non può prendere la nuora per suo marito*, quando à morto suo figliuolo, che di essa era marito. Et vice versa: *La Madonna non può maritarsi con suo genero, quando è morta la sua figliuola, che era moglie di esse*. Scilicet propter Affinitatem in linea recta inter focerum, & nurum; & inter generum, ac socrum existentem. Affinitas lineæ transversalis est illa, quæ ab uno latere complectitur maritum, ab alio omnes mulieres consanguineas Uxoris ejus; & e converso, quæ ab uno latere ligat Uxorem mariti, ac omnes ejusdem mariti consanguineas ab alio latere; ac omnes ejusdem Affinitatem initam vel ex copula conjugali, vel ex fornicaria inter Virum coequentem, & feminas consanguineas mulieris ab eo carnaliter cognite non possit inire Matrimonium; prout nec e converso intra eandem Mulierem carnaliter cognitam, & consanguineos Viri, à quo cognita fuit. S. Thomas in 4. dist. 41. quæst. Unic. art. 2. & in Addit. 3. p. quæst. 55. art. 6. Sanchez d. lib. 7. disp. 67. num. 1. Basilis Pontius d. lib. 7. cap. 33. numer. 3. Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 26. num. 10. Gonetus tom. 5. disp. 9. de Matrim. numer. 79. Reginaldus lib. 31. num. 145. novissime doctissimus Matrisius in 4. sent. d. disp. 7. num. 475.

Porro hic observandum venit id, quod notant omnes DD. videlicet Affinitatem propriè gradus non habere, sed hinc Affinitate gradus mensurari juxta gradus consanguinitatis; atque ideo distantia, vel propinquitas Affinitatis est mensuranda juxta distantiam De Sacram. Matrim.

tiam, vel propinquitatem gradum consanguinitatis cum ea persona, per quam nascitur Affinitas. Idcirco stipes in Affinitate sunt illæ duæ personæ, quæ se carnaliter cognoscunt; quæ proinde non dicuntur inter se affines, sed principium Affinitatis. Exempti gratia. Petrus carnaliter cognoscit Annam; Petrus, & Anna sunt ripes Affinitatis ex eorum copula confurgentis; & subinde in quo gradu consanguinitatis parentes Petri sunt cum ipso Petro; in eodem gradu Affinitatis censentur esse cum ipso Anna; & e converso in quo gradu consanguinitatis gradu consanguineæ Annæ sunt cum ipsa Anna, in eodem gradu Affinitatis dicuntur esse cum Petro. Frater, seu Filius Petri est ei conjunctus in primo gradu consanguinitatis, ergo in primò gradu Affinitatis uterque est conjunctus cum dicta Anna. Mater Annæ distat uno gradu consanguinitatis ab ipsa Anna; ut etiam Affinitatis gradu distat à prædicto Petro; & sic est discernendum in cæteris remotioribus gradibus tam in linea recta, quàm in linea transversa. Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 26. art. 1. idem Matrisius d. disp. 7. num. 476. & Vinc. de Justis d. lib. 2. cap. 7. num. 37. ubi ponit hoc carmen sumptum ex cit. Glossa in cap. Non debet. De Consanguin. & Affin. nempe: *Mutat nupta genus, Non generata gradus*; id est, per conjugalem copulam mutatur genus parentele inter copulatum consanguineos, qui propterea dicuntur affines respectu alterius ex conjugibus, modo supra explicato; sed non mutatur gradus, quia in eodem gradu Affinitatis sunt cum conjugis sui consanguinei, in quo ei conjunguntur per consanguinitatem.

Quo ad Tertium, in quo Queritur, *Usque ad quem gradum Affinitas dirimat Matrimonium?* Distingere oportet Jus antiquum, à Jure medio; & Jus medium à Jure Novissimo. De Jure antiquo Affinitas impediebat, ac dirimebat Matrimonium inter Affines usque ad septimum gradum inclusivè; prout statuerat Julius Augustus, (qui ad Pontificatum elevatus fuit Papa Primus, (qui ad Pontificatum fuit Anno 337.)) & legitur in cap. Nullum. 35. quæst. 2. ubi sic: *Nullum in utroque sexu permissimus ex propinquitate sanguinis, vel Uxoribus usque ad septimum gradum Uxoriam ducere. Quoniam sicut non licet cuiquam Christiano de sua Consanguinitate, sic etiam nec licet de consanguinitate Uxoribus suis conjugem ducere propter carnis unitatem. Hanc textum referunt Gonet d. disp. 9. de Matrim. numer. 97. Salmaticenses d. tractat. 9. cap. 12. num. 93. & Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 26. num. 23. qui alios antiquos canones colligit, idem disponentes. De Jure medio, videlicet, in Concilio Generali Lateranensi celebrato per Innocentium III. Summum Pontificem d. Anno 1215. decretum fuit, ut Affinitas impedimentum (sive ex copula licita, sive ex illicita) restringeretur ad quartum gradum inclusivè, & ita ultra gradum illum licitum foret Affinibus contrahere inter se Matrimonium; prout legitur in cap. 10. ejusdem Concilii, repetito in cap. Non debet. De Consanguin. & Affin. cuius hæc sunt verba: *Prohibitio copulæ conjugalis quartum Consanguinitatis, & Affinitatis gradum de cætero non excedat. Quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio generaliter observari. De eodem Generali Concilio in eius Præfat. tom. 4. pag. mibi 209. & de eodem Summo Pontifice Innocentio III. hæc habentur: At Pontifex ubi vidit Saracenorum potentiam in Asia crescere, apud Lateranum maximum Concilium celebravit (Anno 1215.) cui interfuere Hierosolimitanus, & Constantinopolitanus Patriarcha, & Prætores Convocantes DCCC. Græci, & Romani Imperii Legati; Regum verò Jerusalem, Franciæ, Hispaniæ, Angliæ, & Cypri Oratores. Et paulò infra: Ipse Pontifex Perusii moritur, Pontificatus sui Anno 18. Men-**

Mense 7. die 19. cuius vita adeo probata fuit, ut post eius mortem, nil earum verum, que in vita egerit, laudaverit, improboveritque, immutatum sit. Nam & Decreta pleraque retulit, quibus tam Licetorum, quam Clericorum mores componerentur, Scriptis & Libros de Sacramento Eucharistia, de Sacramento Baptismi, de Infelicitate conditionis humane. Habuit item sermones Temporibus, & Sollemnibus diebus accommodatos. Hæc ibi; & alia plura de liberalitate, ac pietate Innocentii III. in restaurandis, ac ditandis Ecclesiis, & Hospitalibus, ibi legenda.

De Jure autem novissimo, idest Sacri Tridentini Concilii, de Anno 1563. cdm in eo prudenter consideratum fuisset, quod Affinitas exurgens ex copula illicita, frequenter esset occulta, & plures cum illa Affinitate invalidè contrahebant conjugia, ac in eis, etsi nullis, cum animarum detrimento, perseverabant, deliberatum fuit, ut Affinitas quidem ex copula Matrimoniali proveniens dirimeret Matrimonium usque ad quartum gradum juxta Lateranense Concilium: at illa, quæ oriretur ex copula fornicaria, & illicita non protenderetur ultra secundum gradum, eò magis, quia non tantus amor, familiaritas, aut reverentia oritur ex copula illicita; quantum ex conjugali, ac ex legitimo Matrimonio orta. Decretum Tridentini Concilii sess. 24. de Matrim. cap. 4. fuit hujusmodi: Præterea Sancta Synodus eisdem, & aliis gravissimis de causis adducta, impedimentum, quod propter Affinitatem ex fornicatione contrahitur, inducit, & Matrimonium postea factum dirimit; ad eor tantum, qui primo, & secundo gradu conjugantur, restringit. In ultimioribus vero gradibus statuit, hujusmodi Affinitatem Matrimonium postea contraham non dirimere. Quare post Tridentinum Concilium Affinitas orta ex illicita copula non dirimit Matrimonium, nisi usque ad secundum gradum inclusivè. Et quoniam post hanc Conciliarè restrictionem nonnulli dubitare cœperunt, an esset intelligenda non solum circa Impedimentum Affinitatis dirimens, sed etiam circa ipsum, quatenus est impedimentum impediens, asserentes, quod ex Concilio Tridentino Affines ob illicitam copulam validè quidem possunt inter se contrahere Matrimonium in tertio, & quarto gradu, non autem licitè, adintra Impedimenti Voti simplicis castitate, quod conjugia non dirimit, sed ea illicita reddit, ex rationibus, quas refert Sanchez d. lib. 7. disp. 67. n. 4. S. Pius V. Pontifex Maximus ad tollendam omnem dubitationem, Motu proprio, in Bulla Incipien. Ad Romanum Pontificem. Anno 1566. declaravit, prædicta Matrimonia inter Affines ex copula illicita, esse valida, & licita in tertio, & quarto gradu; in utroque enim penitus sublatum fuit omne impedimentum Affinitatis tam impediens, quam dirimens à Concilio Tridentino. Declaratio autem Piana his verbis concepta fuit: Declaramus, & Auctoritate Apostolica decernimus, nullum hodie impedimentum remanere, quominus in ulterioribus gradibus hujusmodi, libere, & licite Matrimonium contrahi possit. Quæ quidem verba transcribit etiam Sanchez d. disput. 67. numer. 4. nec non Barbosa in Collect. DD. ad Concil. Trid. sess. 24. de Matrim. cap. 4. num. 10.

Ex restrictione prædicta Affinitatis ex copula illicita per Concilium Tridentinum facta ad primum, & secundum gradum tantum, deducunt DD. infrascriptas quinque illationes. Prima est, quod Affinitas ex Matrimonio orta etiam in præsentè impedit, & dirimit Matrimonium inter Affines usque ad quartum gradum inclusivè juxta Decretum Concilii Lateranensis de Anno 1215. sub Innocentio Papa III. Secunda est, quod Affinitas orta ex fornicatione sicut Matrimonium non dirimit ultra secundum gradum, ita nec impedit, nec dissol-

vit Sponsalia cum Affinibus in tertio, vel quarto gradu inita, vel incepta. Tertia est, quod nomine fornicationis intelligitur quæcumque copula illicita, prout est Adulterium, Stuprum, aliavè species damnata: Luxuria; quia Fornicatio est nomen genericum, comprehendens sub se omnes alias species, juxta illud Tob. 4. 13. Attende tibi, Fili mi, ab omni fornicatione. Quarta est, quod si quis copulam carnalem illicitam habuerit cum una femina; deinde cojerit cum conjugine ejusdem feminae in tertio, vel in quarto gradu, non committit incestum; sed vel simplicem fornicationem, vel aliam speciem luxuriæ juxta qualitatem ejusdem conjugine; ea ratione, quia cum ea, ex prima conjugali copula, nullam contraxit Affinitatem; & ideo in confessione non tenetur exprimere, se coivisse cum conjugine mulieris, aliàs à se per copulam carnalem fornicariam cognitæ. Quinta illatio est, quod si quis Uxoratus copulam carnalem illicitam habeat cum conjugine Uxoris suæ in tertio, vel quarto gradu existente, non amittit jus petendi debitum, ut declaratum esse à Sacra Congregatione refert Garzias de Benefic. part. 8. cap. 3. num. 76. & ratio est, quia si lapsus fuisset in illam illicitam carnalem copulam, antequam Uxorem suam duceret, non fuisset impeditus cum ducere: igitur eum antea eam duxerit, non est impeditus per ea ea debitum; nam, ut inquit Verba Declarationis, confirmatæ à Gregorio XIII. s. à Concilio Tridentino sublatum est impedimentum dirimens (ultra secundum gradum) quod inquit est; ergo est illud, quod solum impedit, ne si per quem contracta est Affinitas, sine peccato possit exigere debitum, quod minus est. Et de supradictis Illationibus latè differunt DD. quos longa serie allegat Barbosa ad d. sess. 24. de Matrim. cap. 4. inter quos, præter Sanchezium d. lib. 7. disp. 67. Farinacius de Delictis carnis quest. 149. num. 116. Reginaldus d. lib. 31. à num. 147. Basilus Pontius d. lib. 7. cap. 38. §. 1. Caballus Resol. crimin. casu 200. à numer. 45. & segg. novissimè Lezana in Summa tom. 3. Verb. Affinitas. num. 2.

Quod ad Quartum; in quo requiritur, Quo Jure hoc impedimentum Affinitatis sit introductum? Et eundem, ut dirimat Matrimonium? Quoniam tria sunt Jura, Ecclesiasticum, Naturale, ac Divinum; de singulis est separatim differendum. De Jure Ecclesiastico nemo est, qui neget introductum esse hoc impedimentum dirimens Affinitatis; quia, ut dictum est supra in secundo Questio à numer. 15. & segg. usque ab initio Ecclesiæ per diversos Summos Pontifices verita fuit conjugia inter Affines in primo, secundo, ac tertio Affinitatis genere, ut ex iuribus ibi citatis; ultra que alios canones adducit Emin. Card. de Laurea d. lib. 26. num. 94. ita dicens: Primum decretum, quod apparuit in toto textu Canonico est Hicini Pape post Epistolam eius secundam, & habetur 35. quest. 10. cap. prout. Hic autem Papa sedebat de Anno Christi 150. Secundum est Fabiani, & habetur in cap. De propinquit. 35. quest. 2. & 3. Hic autem Mariz occubuit Anno 153. Tertium Innocentii I. ut habetur in capit. fin. 35. quest. 10. Hic autem obiit anno 417. Quartum Julii I. & habetur in Epistol. 5. ac Zachariae, & habetur in Epistol. 4. Hæc, & alii Pontifices statuerunt impedimentum Affinitatis, alii usque ad septimum gradum, alii usque ad quartum, alii indefinitè, ut patuit in art. 3. Et tandem in Concilio Lateranensi IV. can. 50. stabilitum est, ut Affinitas usque ad quartum tantum impeditur, ac dirimat. Ergo ab Ecclesiæ statuto est hoc impedimentum. Hoc autem adeo clarum, & manifestum est, ut nullus, nisi malignæ voluntatis, audeat negare.

De Jure naturæ oportet distinguere Affinitatem ex copula fornicaria, seu illicita; ab Affinitate in-

31 surgente ob copulam conjugalem, ac licitam. Circa primam, scilicet ex copula illicita omnes scribentes Theologi, ac Canonistæ concorditer docent, ejus impedimentum non oriri ex Jure naturali, si vè sit in linea recta, sive in linea transversa. Rationem hanc assignant, quia ex copula fornicaria nulla nascitur propinquitas, quæ generet reverentiam, vel amicitiam inter Affines; non enim filius alicujus mulieris naturaliter movetur ad exhibendum amorem, vel reverentiam illi viro, qui cum eadem muliere Matre sua illicitam copulam habet; nec ejusdem Viri filius ad reverendam, vel obsequendam mulierem, quam ejus pater turpiter cognovit; ideo natura non præcipit, ut in obsequium hujus Affinitatis adeo imperfectæ, & ex turpi causa provenientis, debeat esse impedimentum inter Affines, dirimens inter eos Matrimonium. Ita Castropalaus de Matrim. disput. 4. par. 18. num. 10. Sanchez d. lib. 7. disp. 66. num. 3. Bonacina qu. 7. punct. 12. num. 7. & alii apud Salmanticenses d. disput. 9. de Matrim. cap. 12. num. 96. quibus concordat Vinc. de Jure de Dispenfat. Matrimonial. lib. 2. cap. 7. num. 49. & ibi M. Ant. Genuesinus in Praxi Curie Archiepiscop. Neapol. cap. 20. numer. 9. supradictam rationem repetens his verbis: Quia ex hujusmodi affinitate non inducitur vinculum naturale, nec inter feminam cognitam, & conjugine Viri qui illam cognovit, nulla oritur amicitia naturalis, sed potius oriuntur, ut plurimum, odia, & inimicitie.

At, circa Affinitatem orientem ex copula conjugali, & licita, tres sunt DD. diversæ Sententiæ. Prima tenet, quod Impedimentum Affinitatis ex copula maritali surgens dirimat Matrimonium de Jure naturæ tam in linea recta, quam in linea transversa in primo gradu, itaut naturaliter esse non possit conjugium inter Novercam, & Privignum, idest tra la Matregna, ed il Figliastro; seu inter Socerum, & Nurum; tra il Mijstero, e la Nuora, qui in linea recta, et primo Affinitatis gradu conjunguntur: ac ulterius Matrimonium consistere non possit de Jure naturæ neque in primo gradu lineæ transverse, videlicet inter Uxorem fratris defuncti cum alio fratre vivente, seu inter Maritum Uxoris defunctæ cum sorore vivente ejusdem Uxoris defunctæ; undè communiter dicitur il Cognato non può sposare la Cognata; nè questa può maritarsi con suo Cognato. Rationes, quibus Jus naturale prohibet, ac dirimit Matrimonium in primo gradu lineæ rectæ, adducuntur infra in secunda sententia. Rationes verò ejusdem prohibitionis in primo gradu lineæ transversalis, sunt sequentes. Primò, quia Uxor fratris reputatur soror; siquidem per actum conjugalem effectus est una caro, & unus sanguis cum ipso fratre. Sed Jus naturale impedit, & dirimit Matrimonium inter fratrem, & sororem. Ergo etiam inter fratrem, & Uxorem Fratris. Secundò, quia quidquid turpe est ab intrinseco, & ex natura rei, dicitur prohibitum de Jure naturali. Sed in Levit. 18. 16. prohibitum fuit Matrimonium inter fratrem, & Uxorem fratris tamquam quid turpe: ibi: Turpitudinem Uxoris fratris tui non revelabis. Ergo tamquam de Jure naturæ vetitum. Tertio: quia Pr. Joannes Baptista arguebat Herodem ob hoc impedimentum de Jure naturali, quod non obstante duxerat in Uxorem Herodiadem Uxorem Philippi fratris sui, ut legitur Matth. 14. 13. & Marc. 6. 17. Herodes misit, ac tenuit Joannem, & vinxit eum in carcere propter Herodiadem Uxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam. Dicebat enim Joannes Herodi; non licet tibi habere Uxorem fratris tui. Herodes autem cum esset gentilis, non prohibebatur ab illo conjugio, nisi Jure naturali. Quod, quia in cap. Gaudemus. De Dvori. decernitur, infideles conjunctos in gradibus prohibitis, convertos ad fidem non esse separandos, sed tolerandos in secun-

do tantum gradu. Ergo non etiam in primo gradu, tamquam conjuncti contra Jus naturæ. Siquidem exceptio in uno casu firmat Regulam in contrarium. Barbosa Axiom. 85. num. 4. ubi Jura, & DD. Ideò ob has rationes hanc sententiam tenuerunt Richardus, Paludanus, S. Antonius, Durandus, & alii mi DD. scriperunt pro præsentia nullitate Matrimonii Henrici VIII. Regis Angliæ, qui duxerat in Uxorem Catharinam Aragoniam, quæ prius nupserrat Arturo fratri germano prædefuncto ejusdem Henrici, quamvis super secundo illo Matrimonio obtenta fuisset Apostolica Dispenfatio à Summo Pontifice Julio II. quem illum non potuisse concedere Jure naturali resistente, assererebat Theologi, ac Jurisperiti pro eodem Rege Henrico VIII. scribentes; inter eos fuit (ut aliis dixi) noster Marcus Mantua Benavidus Jurisconsultus, ac Publicus Juris Civilis Professor in hoc celeberrimo Archiepiscopatu Patavino, ejus Votum circa præsentiam Dispenfationis Apostolicæ nullitatem, ac Matrimonii invaliditatem, legitur impressum tom. 1. Consilior. ejus, Consil. 121. in quo, etsi plurima, eaque fortissima argumenta alleget pro validitate Dispenfationis Pontificiæ, conatur ea dissolvere, respondendo; ut dissolutionem Matrimonii, per Henricum VIII. de facto attentatam, jultam, ac licitam ostendat, etsi minus jultè, & omnino illicitè; ut infra num. 38.

Secunda sententia tenet, Affinitatem in primo gradu lineæ transverse non esse Jure naturalis impedimentum dirimens Matrimonium; sed illam tantummodò in primo gradu lineæ rectæ. Ita Emin. Card. Bellarminus, Valentia, Tannerus, Vasquez, Estius, & alii, quos citant Sanchez d. lib. 7. disput. 66. num. 6. & Matrus d. disput. 7. n. 481. in fin. Probant, quod Jure naturali non sit prohibitum Matrimonium in primo gradu lineæ transverse: 1. Quia Jacob nupsit duabus sororibus Litæ, & Racheli Gen. 19. 2. Quia Judas dedit in Uxorem Thamar filio suo primogenito Her, quo mortuo, eamdem Thamar in Uxorem dedit secundogenito filio suo Onam. Gen. 38. 3. Quia Deus præcepit Hebræis in Deuteron. 25. 5. quod si unus ex fratribus absque liberis mortuus fuerit, Uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater ejus. At Deus non potuit præcepisse id, quod esset contra naturam, vel prohibitum Jure naturali, cujus ipse Deus est auctor, de quo scriptum est Malach. 3. 6. Ego Dominus, & non mutor. Item, quia post mortem Uxor, ejus Soror poterat nubere Marito illius, & Affini suo, ut in Levit. 18. Vers. 18. 4. Quia probabilis est opinio, quod neque inter conjugineos prohibitum sit Matrimonium de Jure naturæ in primo gradu lineæ transverse, ut docet Matrus d. disput. 7. n. 460. & nos ostendimus supra Decif. XXXII. 5. Quia, ut infra ostendemus num. 49. sæpè dispensatum est in Ecclesiæ, ut frater duceret possit in Uxorem mulierem illam, quæ fratri iam defuncto prius nupserrat; & talis fuit dispenfatio Julii II. ut prænotavit Henricus VIII. Rex Angliæ postea Matrimonium intire cum Catharina Aragonia, quæ prius nupserrat Arturo ejus fratri; ut narant omnes Historici, & novissimè P. Ant. Forelli in Mappamondo Histor. tom. 5. in Vita d. Henrici VIII. Anno 1533. pag. 119.

Neque subsunt argumenta, seu fundamenta contraria. Non primum, quia Uxor fratris impropiè, ac lato modo vocatur Soror; & etiam si talis verè esset, non prohiberetur Jure naturæ nubere cognato. Non secundum, quia verbum illud turpitudinis, quo Scriptura utitur Levitic. 18. significat talem qualem indecentiam, non autem aliquid à natura prohibitum. Non Tertium, quia S. Joannes Baptista non arguebat Herodem ex eo, quod duxisset

set cognatam Herodiadem in Uxorem, sed quia; vi, & vivente eius fratre Philippo eam duxerat; ideo erat reus Adulterii, Raptus, & Incestus, Ita Cornelius à Lapide Comment. in Marc. 6. 19. ubi sic Verum dico, Herodem viros Philippo, & inveni-  
 38 duxisse Herodiadem, ideoque peccasse tripliciter, Adulterio, Incestu, & Rapto, Probatur primo, quia id differit asserit Josephus lib. 18. Antiquit. cap. 7. Secundo, quia eam duxit sub anno 15. Tiberii Cæsaris; tunc enim predicare cepit Joannes, ut patet Luc. 3. 1. Philippus autem mortuus est anno 20. Tiberii, ut asserunt item Josephus lib. 18. cap. 6. ubi eandem à modestia, & iustitia commendat. Tertio, quia postea Patres Herodem accusant Adulterii, quod fratri viros, sed mansueti Uxorem abstulerit; & nimirum eius iustitiam abusus est Herodes. Non subsistit quantum fundamentum contrarium ex caput. Gaudemus. De Divortio, quia ibi agitur de impedimento Consanguinitatis, non autem Affinitatis, quæ minus urget, quam illa. Sanchez d. lib. 7. disp. 66. num. 12. Item Papa. ibi fuerat interrogatus de secundo gradu, non de primo, qui ideo non est dicendus exceptus. Tanto minus, quia (ut dicemus infra num. 50.) ipsemet Innocentius III. in cap. fin. eod. tit. de Divort. expressè concessit, ut infideles conversi ad fidem habentes in Uxores relictas ab eorum fratribus, esse possent retinere. Non quintum, quod multi Jurisconsulti scripserint, dispensationem Apostolicam pro Henrico VIII. Rege Angliæ fuisse nullam, quia alii plurimi doctissimi scripserunt pro eisdem dispensationis validitate, quos citat Sanchez d. lib. 7. disp. 66. num. 11. & eandem dispensationem postea confirmavit Clemens VII. consultis prius totius Europe primariis Universitatibus, ut ait Matrisius d. disp. 7. num. 482. nec ponderosæ Auctoritatis sunt consilia Marci Mantuæ, & aliorum ad favorem eisdem Regis Angliæ exarata, in quibus dixerunt, ejus Matrimonium cum cognata esse vetitum de Jure naturæ, contra quod Papa non videtur potuisse dispensare; quia, ut notat Cornelius à Lapide Comment. in Levitic. 18. 18. Id asserunt eodem tempore nonnulli Doctores in variis Universitatibus, sed Angelotus Henrici corrupti, Angelotti sunt moneta argenteæ Anglicanæ, ut observat Magrius in Hieroles. Verb. Anglicæ. Hinc regula est in Jure, quod Doctores Causidicis consulentibus parum sit credendum, quia pro objecto, non meram veritatem habent, sed interesse, ex traditis per Rotam part. 9. rec. decif. 438. numer. 12. & per Eminent. Cardin. de Luca de Testamentis disc. 74. num. 7. ubi Jura, & DD.

In Linea autem recta Affinitatis Jus naturale produxisset impedimentum dirimens Matrimonium in primo gradu asseverat hæc secunda sententia ex rationibus, ac fundamentis sequentibus; ita nullo modo possit subsistere connubium inter privignum, & novercam, si Filios, & la Madregna; inter privignam, & viduicam, tra la Figliastro, ed il Padreppo; inter Socerum, & Nurum; tra il Misliere, & la Nuora; nec inter Socrum, & Generum; ideo non tra la Madonna, ed il suo Genero. I. Quia eodem modo abstinendum à copula carnali circa Affines, ac circa Consanguineos, cap. 1. De Consanguin. cap. Equilater cap. De propinquit. 35. q. 3. At in primo gradu Consanguinitatis lineæ rectæ Jure naturæ irritatur Matrimonium, ut fatentur omnes, & nos probavimus supra d. Decif. XXII. Ergo etiam in primo gradu rectæ lineæ Affinitatis. II. Quia ex Aristotele 8. Ethic. caput. 12. Sicut per propagationem carnis contrahitur quoddam naturale vinculum amicitia; ita per conjunctionem conjugalem, quæ ordinatur ad eandem carnis propagationem. III. Quia, si filius debet eandem reverentiam Novercæ, aut Viduicæ, quam parentibus; siquidem prædicti locum parentum obtinent, & tales esse censentur,

quia sunt una caro, Idem dicendum de Genero, & Nuru erga Socerum, & Socrum eorum. IV. quia in Levit. 18. prædict prohibetur Matrimonium in primo gradu lineæ rectæ Affinitatis, deinde Consanguinitatis. Ergo in utraque parentela de Jure naturæ in eodem primo gradu lineæ rectæ extat impedimentum dirimens. V. Quia etiam Gentiles, qui solo Jure naturæ affiebantur, abstinere à conjugio in primo gradu Affinitatis lineæ rectæ, ut innuit Divus Paulus 1. ad Cor. 5. scribens: Autium inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes; itatit Uxorem patris sui aliquis habens. VI. Quia Jacob morti proximus maledixit Ruben primogenito suo, quia prævaricatus erat contra hoc Jus naturale; ait enim Genes. 49. 4. Non crebras: quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum ejus. VII. Quia inter alia scelera, de quibus fit exaggeratio contra Judæos per Prophetam Amos 2. 7. ponitur copula in primo gradu Affinitatis lineæ rectæ, dicens: Filius, ac Pater ejus ierunt ad puellam, ut violarent nomen sanctum meum. VIII. Quia S. Augustinus, relatus in cap. Si Vir, & Uxor. 35. q. 3. ita scripsit in libr. 22. contra Faustum cap. 61. Si Vir, & Uxor non duo, sed una caro sunt, non aliter est nurus deputanda, quam filia. IX. Quia tandem nunquam auditum est, quod Ecclesia dispensarit in hoc primo gradu Affinitatis in linea recta: imò Urbanus Papa VIII. Anno 1632. instanter 42 requisitus à Serenissimo Carolo Gonzaga Mantuæ Duce, ut secum dispensaret, pro descendendo in Uxorem nuru sua, quam ejus prædefunctus filius sine prole viduam reliquerat, dispensationem constanter negavit, ut scribit Illustrissimus Baptagnius Episcopus Nucerinus in Annaliibus Sacerdotii, & Imperii Anno 1632. num. 7. his verbis: Altra negativa siede ancora Urbano di grazia vicesima dalla appartenenza del Sacerdotio al Duca Carlo di Mantova, a cui essendo mancato per morte naturale il Prencipe suo Primogenito, Marito dell' unica Figliuola dell' ultimo Duca Vincenzo; e però considerata come erede di quello Stato, non era ella lasciata dalli Spagnuoli senza lusinghe, acciocchè pigliando dalle loro mani altro motivo risorgessero le loro speranze ne perturbamenti d' Italia; e perciò il Duca medesimo deliberò di togliere loro una tale apertura, aspirando egli stesso alle Nozze con la Nuora, e fece spedizione a Roma per impetrare l' Apostolica Dispensazione. Quæ tamen post diligens studium, & reiteratas consultationes non fuit concessa. Igitur his rationibus prohibendum esse Matrimonium in primo gradu Lineæ rectæ inter Affines docuerunt S. Thomas super 1. Cor. 5. Vers. Omnino auditur. scilicet. 1. S. Antonius 3. p. tit. 1. cap. 11. §. 1. Sylvester in Summ. Verb. Matrim. 8. qu. 15. dist. 6. & Verb. Papa qu. 17. Navarrus lib. 4. Consilior. in 2. edit. tit. de Sponsalib. consil. 14. numer. 8. ad fin. Covaruvias 4. Decret. 2. part. c. 6. §. 10. n. 6. & alii plurimi, quos congerit Sanchez d. lib. 7. disp. 66. num. 6. & citant Salmanticensis d. trad. 9. de Matrim. cap. 12. num. 99. nec non Averla eod. trad. qu. 17. scilicet. 2. adens, quod hujus secundæ sententiæ sectatores recognoscunt hoc impedimentum Affinitatis dirimens de Jure naturali non solum in primo gradu Lineæ rectæ, sed etiam in aliis ulterioribus gradibus usque in infinitum. Nihilominus

Tertia Sententia, quæ magis communis est, & à recentioribus Theologis ac Canonistis amplectitur, omnino tenet, Affinitatem nullum impedimentum generare de Jure naturali, neque in primo gradu utriusque lineæ, sive transversalis, sive rectæ; 43 ita ut dispensatione Apostolica interveniente, licet, ac valide Matrimonium iniri possit inter Affines etiam in primo eorumdem lineæ gradu. Fulcitur hæc sententia sequentibus fundamentis, juri- bus, ac exemplis. I. Quia conjugium in primo gra-  
 du

du etiam Lineæ rectæ non opponitur substantiæ Matrimonij, & bonis ejus, cum Affines etiam in primo gradu absque ulla indecentia possint simul cohabitare, debuit reddere, fidem servare, & prolem in cultu Dei instruere. II. Quia inter eosdem non reperitur illa superioritas, quæ existit inter consanguineos rectæ lineæ in primo gradu, nempe genitores, & filios, cujus respectu tenentur ad talem reverentiam de Jure naturæ, ut, ne ea offendatur, inter ipsos Nuptiæ celebrari non possint: nam prædicta superioritas, & reverentia debetur ob principium generationis ab iisdem genitoribus procedens; quod non intrat inter Affines, qui ab alio sunt generati. III. Quia in Consilio Agaibens, tempore Symmachi Papæ celebrato Anno 506. (sic dido ab oppido Agatha, Provincia Narbonensis, in quo se Patres congregarunt) cum in can. 61. dictum sit, prohibitas, ac incestuosas Nuptias esse, si quis novercam duxerit; si quis consobrinæ sue sociaverit; si quis relicta, vel filia avunculi miscatur, aut pariter filia, vel privigna sua, &c. tandem statutum fuit sic: Quos omnes & olim, atque sub hoc Constitutione incestos esse non dubitamus. Quod ita presenti tempore probemus, ut ea, quæ sunt hæcenus instituta non dissolvamus. Si igitur toleranda censuit Concilium, & non dissolvenda conjugia illa, utique bona fide contracta, sequitur ea, est in primo gradu lineæ rectæ inter Affines inita, non fuisse contra Jus naturæ; ut argumentatur Salmanticensis d. caput. 12. numer. 100. IV. Concordat Concilium Arelanense 3. can. 10. habitum sub Vigilio Papa, Anno 540. in quo decretum fuit, ut infideles conversi ad fidem non separentur, est qui copulati sint cum mulieribus sibi Consanguineis, aut Affinibus; & de his nominati fuerunt sequentes gradus: Relictam Patris, filiam Uxoris, relictam Fratris, Socerum Uxoris, Sobrinam, Consobrinam, vel relictam Avunculi, vel Patris, ubi primi, & ultimi sunt Affines in primo gradu lineæ rectæ. V. Quia antiquitus in tali gradu hujus lineæ etiam à Gentilibus facta est 44 de conjugia legitima; nam Valerius Maximus lib. 5. cap. 7. narrat, Seleucum Regem Syriæ Stratonicam propriam Uxorem dedisse Antiocho filio suo ex alia conjuge generato; et quia cognoverat, ipsum filium periculosè egrotare ex amore vehementissimo, quo erga Stratonicam novercam ardebat. Ideo, Pater, eam à de disjungit per divortium, cessit libenter ipsi filio; & de hoc ab Historicis commendatur. VI. Ac etiam Adoniam filium Regis David 3. Reg. 2. 17. petidisse sibi in Uxorem à Salomone Abisaag Sunamitide, quæ Patris sui fuerat Uxor. Quare his, & aliis argumentis, & eam amplexi sunt innumerati DD. Theologi, ac Canonistæ, quos numerat, & sequitur Sanchez dist. lib. 7. disp. 66. n. 7. ac Salmanticensis d. cap. 12. n. 100. & concordant Basilius Pontius d. lib. 7. cap. 34. num. 5. Averla d. qu. 17. scilicet. 2. Vers. Dicendum. Gonetus dist. disput. 9. de Matrim. num. 82. Matrisius in 4. sem. dist. disp. 7. n. 483. Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disput. 26. de Matrim. num. 99. Ricciulus de Jure Personarum lib. 2. caput. 5. numer. 2. Diana Coordinatus tom. 3. trad. 1. resol. 80. desumpta ex veteri part. 4. trad. 4. resol. 93. in qua latissime comprobatur hæc sententiam; quam novissime etiam commendat Vinc. de Justis de Dispensat. Matrim. d. lib. 2. cap. 7. n. 54. ubi alios DD. ponit.

Remanet pro firmitate hujus tertiæ sententiæ evacuanda fundamenta, quæ contra illam adducta sunt supra in sententia secunda. Igitur ad Primum respondetur, negando paritatem Consanguinitatis, & Affinitatis quod ad Jus naturæ; est æqualiter de Jure Ecclesiastico sint prohibita connubia in eodem gradu, & in eadem lineæ: in Affinitate enim minor est ratio, quam in Consanguinitate; hæc enim De Sacram. Matrim.

ab intrinseco, & ex eodem Jure naturali dirimit Matrimonia in primo gradu lineæ rectæ; illa verò ab extrinseco, & solo Ecclesiastico Jure. Idem respon- detur ad secundum ex doctrina Aristotelis; quia non ita stringit vinculum conjunctionis conjugalis, sicut vinculum propagationis carnalis. Ad Tertium dicitur responso datur, nempe laxiorem esse obedi- entiam debitam à Privigno, & Nuru Novercæ, ac Socero, quam sit illa, quam filius, & filia pro- priis genitoribus profiteri tenentur; quam etiam ne- tino negabit, tepe fieri, ne dicamus evanescere, mor- tuo genitore. Ad Quartum negatur confessio interdictæ fuerint Nuptiæ in primo gradu lineæ rectæ, tam in Consanguinitate, quam in Affinitate; non sequitur utramque parentalam Jure naturali prohibitas; nam & in gradibus ulterioribus, ac lineis diversis eadem Nuptiæ ibi interduntur, & tamen non ab eodem Jure Naturæ oritur motivum interdicti. Ad Quintum respondetur, fornicationem reprehensam in Corinthiis ab Apostolo fuisse enormem, ac adulteram, & incestuosam, quia committebatur à privignis cum noverca vivente adhuc patre; ut ibidem Sacra Scriptura expostores decla- rant, & advertunt Sanchez, Pontius, Matrisius, & alii DD. supra citati. Ad Sextum quadrat hæc eadem responso, nam Ruben fuerat incestuosus, & adulter cum noverca, patre adhuc vivente. Idem ad Septimum de Judæis, contra quos Amos Propheta declamabat. Ad Octavum respondetur, S. Augustini verba esse intelligenda per similitudinem, non per proprietatem; Nurus enim verè, & propriè non est filia Soceri, sed tamquam filia; quæ filiatio exten- ditur eadem Nuru. Ad Ultimum respondetur, Romanos Pontifices non dispensare in hoc primo gra- 45 du Affinitatis lineæ rectæ non ex defectu potestatis, sed ex deficientia justæ, ac urgentis causæ, qualis requiritur in hujus primi gradus dispensatione; sic- que Urbanum VIII. eam denegasse Duci Mantua- no, quia discussa necessitate, & ponderositate causæ, ob quam Dux ille cupiebat in conjugem sibi as- sumere Nuru suam; reperta est nec ponderosa, nec necessaria; non enim verè, sed vani erant, ac panici timores bellorum, ut experientia compro- bavit.

De Jure autem Divino positivo fuit prohibitum Matrimonium inter Affines in utraque linea pro di- versis gradibus; ut legitur in cit. cap. 18. Levitici. At illæ prohibitiones spectabant ad præcepta judicialia, quæ cessante Lege Moysæa amplius non du- rant, ut advertunt Sanchez, Pontius, Averla, Salmanticensis, & alii Theologi gravissimi supra allegati, inter quos Matrisius d. disp. 7. sub num. 484. ita scribens. Cum enim hoc præceptum esset de gene- re judicialium, quantum esset ex vi illius Legis non obligabat nisi populum Hebræorum, ac post adventum Christi penitus cessavit, ut suo loco dictum est de cessatio- ne Legalium: nam translato Sacerdotio, Legis quo- que translatio facta fuit. Hebr. 7. quod latius explicat, ac declarat ex doctrina S. Augustini Eminent. Cardin. de Lauræa d. disp. 26. num. 102. conclusit, quod præcepta Legis Moysiæ Legalia, ac caremoni- alia, quæ erant illa prohibentia Nuptias certis in gradibus inter Consanguineos, & Affines Hebræorum, nunc sunt abrogata. In Lege autem E- vangelica nullum inductum est impedimentum de Jure Divino in his gradibus Affinitatis, & Con- 46 sanguinitatis; quia Christus Dominus reliquit in po- testate Ecclesiæ, ac sui Vicarii, illos restringere, vel ampliare, ac super eis ob justam causam dispen- sare pro felici, ac suavi fidelis populi regimine, ut notant Sanchez lib. 8. disp. 6. numer. 4. Averla de Matrim. qu. 19. scilicet. 1. in princ. Diana Coordinatus d. tom. 3. trad. 2. resol. 2. existente in opere inordina-  
 L. 4. to

to part. 8. trañ. 3. resol. 2. & Vinc. de Justis d. lib. 2. cap. 4. à num. 26. & seqq. Idcirco

Quo ad Ultimum, requirens An Papa possit dispensare in Impedimento Affinitatis? constanter respondent DD. posse Papam in omnibus Affinitatis gradibus dispensare, etiam in primis sive rectæ, sive transversalis Lineæ, iusta tamen, ac rationabili, eaque gravi causa interveniente, & eodem DD. cumulat, & refert Diana Coordinatus dicit. tom. 3. trañ. 1. resol. 80. resol. 81. resol. 82. resol. 83. & resol. 84. inter quos Caramuel in Theolog. Moral. lib. 2. num. 591. ubi probat sic: Sepè Ecclesia dispensavit in primo gradu Affinitatis. Ergo potuit. Patet consequentia, quia alias diceretur excedere limites proprie auctoritatis, quod esset manifesta injuria. Dispensationes autem in primo gradu Lineæ transversæ, quæ à Theologis infra citandis referuntur, sunt sequentes. I. Illa generalis ab Innocentio Papa III. (qui Cathedram Apostolicam ascendit Anno 1198.) concessa toti populo Livoniæ, ut uxores, quas habebant, retinerent, etiam ante Baptismum ipsarum nupissent maritorum fratris, ut habetur in cap. fin. de Divortijs. Cùm enim tempore Urbani III. Anno 1186. prædictus populus, abjecto Paganismo, converti cepisset ad fidem, opera, & prædicatione Sancti Meinardi Canonici Sigeburgensis, nec non Bertoldi Abbatis Lubecensis, ut refert Arnoldus lib. 7. cap. 8. & 9. & Eminentiss. Cardin. Baronius in Annal. Anno 1180. consultus fuit Innocentius III. quid agendum de Uxoribus eorundem Livonienisium, quæ illis in primo gradu Affinitatis lineæ transversæ erant conjunctæ? Et respondit Pontifex esse in Matrimonio tolerandas, ut in d. cap. fin. de Divort. Livonia est Regio inter Prussiam, & Ruffiam, cujus Metropolis est Urbs Riga. Olim Livonienses suberat Regi Poloniæ, nunc autem pro majori parte Regi Sveciæ, teste Ferrario in Lexic. Geographic. Verb. Livonia. II. Dispensatio concessa à Martino V. electo Papa Anno 1417. in eodem primo Affinitatis gradu, ut cognatus duceret in Uxorem cognatam, quæ prædefuncto eius fratri nuperat, & cum eo Matrimonium consummaverat, ut refert Sylvester in Summa Verb. Papa quæst. 17. III. Dispensatio elargita per Alexandrum VI. electum Pontificem Anno 1492. Emmanueli Regi Lusitanicæ, ut assumeret postea in Uxorem sibi Principissam Mariam forem D. Isabellæ Reginæ Hispaniarum, & prius Uxoratam cum ejusdem Regis Emmanuelis germano fratre, ut notat Diana Coordinatus d. tom. 3. trañ. 1. resol. 82. §. 8. & Vinc. de Justis d. lib. 2. cap. 7. num. 57. IV. Dispensatio famosa Julii Papæ II. de Anno 1509. data Henrico VIII. Angliæ Regi, ut iniret Matrimonium cum Regina Catharina, quæ prius nupta fuerat Arcturo ejusdem Henrici fratri; de qua omnes Theologi, ac Canonistæ, & ipse Diana dicit. §. 8. V. Dispensationes duæ tempore Pauli V. ac Urbani VIII. emanatæ; Una ut nobilis Germanus contraheret Matrimonium cum sorore uterina primæ eius Uxoris defunctæ, dicit 8. Augusti 1607. Altera, ut nobilis Cameracensis cum consimili sorore prædefunctæ Uxoris conjugium iniret, dicit 20. Junij 1628. & de utraque testatur Pignatellus tom. 8. consult. 106. VI. Item alia dispensatio concessa ab Urbano VIII. de qua Salmanticenses d. cap. 12. de Matrim. numer. 97. ut Comes Franciscus de Menchaca in Hispania duceret in Uxorem D. Leonoram Rodriguez, cum cujus sorore prius in Matrimonio fuerat, & ex ea filios suscepit. VII. Dispensatio Regi Poloniæ Joanni Casimiro data ab Innocentio X. Anno 1649. de qua scribit Illustrissimus Episcopus Batpagninus in dd. Annal. Sacerd. & Imper. Anno 1649. num. 22. his verbis: In Polonia il nuovo Re Giovanni Casimiro destinato dalle vicende del Mondo, o dalla volubilità della sua natura, volle far prova di

tutti gli stati, deliberando di sposare la Principessa Maria Ludovica Gonzaga moglie del defonto Re suo fratello: e quindi con la debita dispensazione del Papa sopra l'impedimento dell' Affinità, non dilugarono le nozze celebratesi con la solita pompa. VIII. Accedit alia dispensatio super eodem primo gradu Affinitatis lineæ transversalis, ab eodem Innocentio Papa X. elargita Anno 1651. de qua testem ocularem se fuisse scribit Gonetus in citat. tom. 5. disput. 9. de Impedim. Matrim. num. 80. ita dicens: Et rursus idem Pontifex cum Senatore Burdigalensi Anno 1651. dispensavit, ut duas alterius Senatoris Burdigalensis sorores successivè uxores haberet; fuitque ad me transmissum Breve dispensationis per R. P. Joannem Arcard. Ordinis nostri (F.F. Prædicatorum) tunc Romæ apud S. Mariam Majorem Penitentiarium, nunc vero Inquisitorem Avenionensem Burdigala, vulgò Guierne, est Urbs Archiepiscopalis Aquitania, valde antiqua, potens, & perampala ad Garunnam fluvium, in qua habetur Parlamentum, ut notat Lexicon Geographicum Ferrarii in Verb. Burdigala; & fuit Patria Autonij Poetæ, de qua ille cecinit: Disigo Burdigalam, Romam colo, Cuius in hac sum.

Consul in ambabus: Cuna hic, ibi sella curulis.

Ex his igitur huculque dictis, & deductis satis comprobatum remanet, Summum Pontificem posse dispensare in quocunque gradu Affinitatis, etiam in primo utriusque lineæ rectæ, ac transversæ, sive Affinitas orta sit ex copula fornicaria, & illicita, sive ex licita, ac conjugali, ut ostendunt Corradus in Præxi dispens. Apostol. lib. 7. cap. 1. & Vinc. de Justis in eod. trañ. d. lib. 2. cap. 7. à num. 93. ubi DD. congerit; prout etiam late probat Diana Coordinatus d. tom. 3. trañ. 1. resol. 80. cum tribus seqq. advertens, catenus non reperiri exempla dispensationum Affinitatis in primo gradu lineæ rectæ, ut & nos diximus supra num. 45. quatenus non est ita facile, ut intercedat causa iusta, urgens, & necessaria ad dispensandum in eodem primo gradu rectæ lineæ; adeo ut non ex defectu potestatis in Papa, sed ex deficientia causæ iustæ deficient exempla, ut in puncto dicit idem Diana Coordinatus ubi supra. resol. 81. §. 10. Salmanticenses d. cap. 12. n. 100. Lezana in Summa tom. 3. Verb. Affinitas. num. 3. ubi docet, spectare ad solum Summum Pontificem dispensare super Affinitate, quando agitur de contrahendo Matrimonio inter Affines: quod si Affinitas superveniat post Matrimonium contractum, posse etiam Episcopum dispensare cum conjugie incestuoso ad petendum debitum, ut docuimus supra num. 13. Utrum autem Regulares confessorij habeant facultatem dispensandi cum incestuosis, ut valeant petere debitum? Quamvis affirmant Sanchez lib. 8. disputat. 16. num. 8. Portellus Verb. Confessor Regularis erga seculares num. 23. & alij; ipse Lezana dubitat, quia olim talis facultas competebat Regularibus per vivæ Vocis oracula; quod post Annum 1631. revocata fuerunt ab Urbano VIII. quapropter ipsi consulant conscientiam suam, & ulterius advertant, esse necessarium, ut idem sint specialiter deputati à suis Superioribus ad dispensandum cum incestuosis, quia non sufficit sola deputatio ad Confessiones audientias; & quod iusta causa debet intervenire, ut dispensatio concedatur, ut ait Lezana ibid. num. 5. 6. & 7. ab iisdem Confessorij Regularibus videndus.

DECISIO XXXII.

ARGUMENTUM.

Impedimentum Impotentia dirimens Matrimonium in præsentî Decisione explicatur. Quid, & quotuplex sit hæc Impotentia? ostenditur. Quando, & quomodo per eam dirimantur conjugia? Docetur, decem esse personas ad Matrimonium validè contrahendum impotentes, nempe: 1. Nimis frigidæ. 2. Nimis calidæ. 3. Defectum in veretro patientes. 4. Excessum in eodem portantes. 5. Arctas mulieres. 6. Maleficiatos. 7. Impuberes. 8. Senes. 9. Eunuchos. 10. Hermaphroditos. Prædictorum omnium Matrimonia quando invalida sint censenda, & quomodo sint irrita declaranda? Theologorum, Canonistarum, ac Medicorum eximij doctrinis demonstratur, atque Rotalibus Decisionibus, & lepidis Hilloriis, ac Exemplis definitur.

SUMMARIUM.

- 1 Impotentia dirimens Matrimonium que, & qualis sit?
- 2 Sterilitas in generando, Matrimonium non dirimit.
- 3 Impotentia quo Jure dirimat Matrimonium?
- 4 Impotentia multiplex diriso.
- 5 Impotentia perpetua dirimit Matrimonium. Temporalis non.
- 6 Si tamen præcesserit illud. Secti si subsequatur.
- 7 DD. in explicando Impotentia impedimento obsecuti.
- 8 Impotentes ad copulam persone decem. Et que?
- 9 Frigiditas, impediens copulam, que, & quotuplex sit?
- 10 Frigiditatis naturalis signa quinque.
- 11 Hæc dirimit Matrimonium.
- 12 Frigiditas accidentalis que? Et unde oriatur?
- 13 Cohabitatio triennalis necessaria circa ipsam.
- 14 Triennium in casu impotentie incipit à die Decreti Judicij.
- 15 Impotentia durante post triennium, si declaratio nullitatis Matrimonij, sed cum Juramento.
- 16 Frigiditas mulieris nulla Matrimonium dirimit.
- 17 Impotentia Viri ex nimia caliditate qua sit?
- 18 Caliditas nimia, que non sanat per triennium, dirimit Matrimonium.
- 19 Mentula brevis, ac exilitas causant impotentiam in Viris.
- 20 Mentula brevitatis exempla.
- 21 Umbilicus infantis quomodo ab obstetrice rescindendus.
- 22 Virgæ virilis defectus plures.
- 23 Penis excessus duplex, nimia longitudo, & crassities.
- 24 Pinguedo nimia Ventris facit conjuges ad copulam impotentem.
- 25 Respectiva impotentia qua sit? Et an Matrimonium dirimat?
- 26 Arbitrio in muliere quando dirimat Matrimonium?
- 27 Mulier arda an teneatur pati incisionem?
- 28 Maleficiati impotentes ad Matrimonium qui sint?
- 29 Maleficiatum ligamini à Demone sit modis septem.
- 30 Innocentij III. Epistola ad Reginam Uxorem Pbilippi Regis Francie maleficiati.
- 31 Maleficia ligamini vel universalia, vel respectiva.
- 32 Respectiva, vel perpetua, vel ad tempus.
- 33 Quibus medijs auferenda?

- 34 Triennium semper assignandum pro tollenda impotentia ex maleficio.
- 35 Maleficiatus post solutum Matrimonium, si fiat potens ad copulam, an teneatur redire ad illud?
- 36 Impuberes ab antiquis ad Matrimonium non admittuntur.
- 37 Annus 14. in masculo, Annus 12. in femina debet esse completus ad Matrimonium per verba de presentî contrahendum.
- 38 Impuberes an peccent nubendo ante præscriptam ætatem?
- 39 Ætas in impuberibus an debeat esse Mathematicè completa?
- 40 Malitia si suppleat ætatem, ætas completa non expectatur.
- 41 Impuberum exempla, qui feminas gravidarum.
- 42 Parochus impuberum Matrimonia admittere non debet.
- 43 Puberes post Annum 14. contrahentes, si impotentes sint, quid agendum?
- 44 Impotentia, si dubium sit, an præcesserit Matrimonium, quid agendum?
- 45 Senes usque ad quam ætatem possint conjugium contrahere?
- 46 Senum, qui in senectute genuerunt filios, exempla.
- 47 Moribundus an validè nubat?
- 48 Eunuchorum Matrimonia nulla ex Bulla Sixti V.
- 49 Eunuchorum species tres.
- 50 Putifar Eunuchus, qui emerat Joseph, quomodo habebat Uxorem?
- 51 Hermaphroditus, quomodo, & quando possint nubere?

DUODECIMUM Impedimentum dirimens Matrimonia est Impotentia ad illa perfectè consummandam, per coitionem, simul cum seminis in debito Vase naturali effusione: utrumque enim requiritur, quia si unum horum absit, irritum est Matrimonium. cap. Laudabilem, & ibi Abb. num. 1. De Frigid. & Malef. Zacharias in Q. Medicolegal. lib. 3. tit. 1. q. 1. n. 2. Et hoc sive talis Impotentia proveniat à parte Viri, sive à parte Mulieris; dummodò fuerit eo tempore, quo Matrimonium contractum est; secus autem si subsequatur. Tale autem impedimentum dirimens vocatur Impotentia ad perfectè consummandum Matrimonium; non autem Impotentia ad generandum; quia licet finis principalis Matrimonij sit profectio; ex hujus finis defectu tantummodo non irritatur conjugium, quando conjuges apti sunt ad copulam carnalem perfectam exercendam; cum secundarius Matrimonij alius finis sit exercitium copulæ in remedium concupiscentiæ, ut ex doctrina Scoti bene differit Mathrius in 4. disp. 7. n. 411. inferens, quod licet conjuges sint steriles, nihilominus eorum Matrimonium est validum, quando potentes sunt simul coire, & feminare, quia non sterilitas in generando, sed impotentia in coeundo, ac seminando impedit, ac dirimit Matrimonium, tum Jure naturali; quia in Matrimonio traduntur corpora conjugum adinvicem ad hunc finem coeundi, ac seminandi; & licet copula actualis non sit de essentia Matrimonij, est tamen de essentia, ut tradatur corpus potens ad dictam copulam; & qui caret hac potentia, nulliter contrahit, quia tradit corpus penitus ineptum; & quamvis usus sit diversus à dominio, non potest transferri dominium cum impossibilitate usus; & sic de Jure naturali irritum est Matrimonium, ubi non est potentia coeundi, ac seminandi; tum etiam Jure Ecclesiastico ex pluribus text. in disp. 33. q. 1. Et in cap. 2. cap. Fraternalitatem. cap. Quod Sedem. cap. Consultationi, cum aliis seqq. De Frigidis, & Malef. ut concordari calamo scri-